



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

[7.] S. Afra Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Instructio meritoria.

Cupiditas habendi, & possidendi, malum malorum gravissimum. Et cui non dominatur? Quis ille, & laudabimus eum? Supprimere oportet. Quomodo? Exercitio contrariô. Si insurgat; si denuo cor inflammet, citò sedeamus, & scribamus: *O quàm sordet mihi terra, dum cælum suspicio.* Denique ut liberemur, ad elevationem pretiosi Corporis, & Sanguinis sub sacrificio Missæ, à Jesu Eucharistico has petamus gratias: 1. *adicatum horrorem omnis peccati.* 2. *Contemptum perferendum sæculi.* 3. *Mortem omnis improbi desiderii, & seraphinum amorem Dei.* O tempus quàm acceptabile ad impetranda dona maxima illud est, dum stat, & orat in templo sacerdos.

Festum Sanctæ Afræ, Martyris gloriosæ, & Protectricis Augustanæ Civitatis potentissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Quàm verum illud: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.*

U 2

vivat.

vivat. Afram consideremus. Nónne erat in civitate peccatrix? Prostibulum publicum? Sed ubi modò? Triumphans gloriosa inter Martyres, & Ecclesiæ protectrices. O quanta vocantis, & eligentis Dei Bonitas, & Misericordia!

Instructio meritoria.

Ut & aliis eveniat peccatoribus huiusmodi singularis gratia, statuamus vel hodie Festa Conversionis S. Pauli, S. Mariæ Magdalænæ, & Afræ quotannís quàm devotissimè venerari, etiam, si locus, vel tempus admittant, extraordinariam Confessionem, & S. Communionem instituendò, nos ob neglectos tot instinctus Spiritûs Sancti, quibus ad specialem facilitatem à Deo sæpiùs excitati fuimus accusandò, & regularem quandam penitentiam præter sacramentalem augendò, aut sibi ipsi cum præscitu Patris spiritualis dictandò. Et hoc est ferre conari ad sui conversionem, & vicæ reformationem.

II.

Verba movent, exempla trahunt dilecte! Quid agimus? Afræ Ve

neri paulò antè addictissima, pietate, & modestiâ S. Narcissi clanculò observatâ, subitò immutatur, sectam detestatur, Venerem execratur, se Christianam profitetur, & ad ignem applicata lætatur. Exempla bona, & sancta non desunt. Quid ergo? Prompta invitandi voluntas. Jam sancti essemus, si in odorem curreremus virtutis, & alienæ sanctitatis.

Instructio meritoria.

Imitemur S. Narcissum. Modestiâ morum, gravitate corporis, & devotione spiritûs, ac orationis lucratus est deperditam Afram. Vincamus naturam corruptam, & quia horret nimum in Ecclesia, vel coram Sanctissimo, aut exercitiis sacris quietò corpore, erectis in cælum manibûs, & oculis angelicè compositis, aut penitus clausis flectere, precésque peragere, hoc ipso rebellanti heroicè occurramus. & ad omnem modestiam adstringamus. Jesus utique præcepit: *Sint lumbi vestri præcincti.* Dantur astuti, & expolliti politici, ut decipiant: Cur non & exemplares Chri-

stiani, ut prædam rapiant Christo Jesu
acceptissimam ?

III.

S. Narcissus verba Evangelii erranti
S. exponit oviculæ, Afræ in via salu-
tis periclitanti: Et en! Capitur felicissi-
mè. SS. Evangeliiis, Bone fili! credi-
mus, & his conformiter non vivimus!
O pudor! Nam de nobis illud verifica-
tur Salviani: *Christi Evangelia legunt,
& impudici sunt; vitam improbam
agunt, & legem probam habere se di-
cunt.* Verè confundimur ab Afræ!

Instructio meritoria.

Unde fit, quòd ex divinis, legibus
non vivamus? Ex eo, quia rarò, imò
nunquam cum debitâ devotione, & hi-
laritate colloquia sancta audimus, vel li-
bros spirituales volvimus, aut sanctis
attendimus Evangeliiis. Quid consilii!
quotidie quandam S. Evangelii verita-
tem seligamus fortè in divino auditam
officio, selectam aut januæ, aut pulpito
suspendamus. Mos iste Sanctorum
fuit. S. Francisco placuit: *Deus meus
& omnia.* S. P. Benedicto: *Ut in omni-
bus*

*bus glorificetur Deus. S. M. Theresiæ:
Aut pati, aut mori. Nobilem industriam?
modò non ita raram! Officium minus
de Spiritu S. oremus.*

Festum S. Alberti ex S. Ordine
Mariano Patrum Carmelitarum
Provincialis vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Nudum Christum nudus sequi, ni-
mis difficile est; Tamen per Dei
gratiam possibile. Secutus sic est S. Al-
bertus, abdicatò patrimonio longè pin-
guissimò. Quò motivò? Quia didicit,
veram felicitatem in hoc mundo non
esse aliam, quàm parùm, vel nihil ha-
bere. O dilecte! Unde tœdia? Unde
anxietates? Mille timores, & labores
unde? Nónne ex divitiarum, & rerum
creatarum possessione inordinatâ?
Vera divitie sunt paupertas divitiarum.
Clemens Alex.

Instructio meritoria.

Propter nos egenus factus est Chri-
stus, cùm esset dives in omnibus, ut il-
lius inopiâ nos essemus divites. Si bo-